



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XXXVI. Sancti Patris Benedicti. M.C.LVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

henderet. *Ex oculatorum testium relatione.*

Cremonensis Monasterij Benedictinae liberalitas.

Nolumus alia recensere recentissima Benedictinae liberalitatis nostrae aetatis exempla, miranda sane, etsi non ita ut Andreae nostri jam dicti prodigiosa, ipsi, ex parte vidimus, (quis veter locum nominare, qui nominatissimus est, vel hoc ipso nominandus, Cremonense nimirum superioris Austriae Illustrissimum Monasterium) una unius diei quotannis liberalissima largitione, praeter panem & vinum ad sexaginta boves, in unam unicam multorum millium confluentium pauperum eleemosynam, memorabili prorsus exemplo dispensari. Quod ipsum BENEDICTO Redivivo convenientissimum esse, neminem crediderim esse, qui ambigat, etsi hoc non inter prodigia, sed pulcherrima Benedictinae Charitatis exempla numeremus.

Mortuus sub hoc ipsum tempus Reverendissimus Dominus P. F. Franciscus de Bivar. Nucalensis in Hispania Monachus, sanctorum lectissimorum ejusdem Canobij collega non solum, sed & institutor felicissimus, vir longè doctissimus & ingeniolissimus, cujus in Flavium Julium Dextrum Commentaria, nemo unquam satis mirabitur, & deprædicabit, quem & nos commercio literario Amicum meruimus, & in caelis Patronum nobis pollicemur. Fuit Philosophus & Theologus incomparabilis, Mathematicus praeterea insignis; Historicus mirificus planè, iudicio, rerum cognitione, & industria prorsus singulari. Fuit dum Romæ ageret, Congregationis Amplissima Procurator Generalis, ob præstantissima animi talenta, in summa apud omnes & S. R. E. Cardinales, & ipsum summum Pontificem aestimatione, caelo dignior quam terris, adeoque ab illo præmaturè abreptus, Collegis sanctissimis & discipulis, quem tantoperè amaverant, secum habere contendentibus, & facile à Numine impetrantibus. *Ex Mss. ex Hispania communicatis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVII
Sancti Patris Benedicti. M. C. LVI.

Accendendis virorum, frigidissimâ nostrâ aetate, ad sacram Generositatem animis fragili usus sexu DEUS Optimus Maximus, iterum

aliud insigne perfectioris vitae Speculum in tenerima ac nobilissima Virgine Catharina à S. Trinitate exhibet. Ea, jam data fide viro Nobili, de celebrandis paulo post nuptiis & Matrimonio ineundo, ad festa sese Hymenalia præparabat, ignara omnino, quid de se Regum Regis (statuerat Divina voluntas & providentia. Commendatura proin Numini & Numinis Matri Virgini, seque & sponsum & quem elegerat statum, peregrinatione ad celebre aliquod peregrinorum frequentia & devotione Caëlorum Augusta Sacellum suscepta, dum ibidem Divinae Matri se totam expectorat, ejusque sese animus commendat protectioni & gubernationi, *Divinitus* edocetur (rem distinctius non exponit historiae scriptor) & intelligit; minime mortali sponso, sed Deo ipsi in Monasterio se desponsandam. Acquievit illico Voluntati Divinae Generosissima sponsa, & omnem amorem carnis & sæculi averfata, ad florentissimum tunc fama & disciplina Fontis Ebraldi Canobium se contulit, seseque amantissimo Numini devotissimè totam devovit & consecravit. Verum Antonietta postea Aurelianensis Ducissa Sanctissimo vitæ illecta exemplo, altiora spirans, & suspirans, ad rigidius institutum, rogata & accepta Superiorum licentiâ, nostrarum de Calvaria Monialium se transtulit, & ad magnam illam, & humilem ex tanta Principe Christi ancillam in Leincestrenti Canobio sese recepit, admirandis illius vitæ exemplis mirificè accensa, eaque pro virili imitata. Congregationisque Calvariae primaria Alumna effecta, exemplar paulo post singulare omnis perfectionis omnibus extitit. Ipsam amantissimus Sponsus Christus, diuturno prorsus Probationis quindecim annorum tempore, summa mentis ariditate flagellavit & exercuit, ipsa nihilominus incredibili animi generositate, labores omnes & arduitate tolerantè patientissimè ac superante; postea primùm summo Orationis & devotionis, nec non gustus supernaturalis rerum Divinarum dono à Numine donata & honorata, ita ut hoc tota ferveret & amore colliquefceret, & verè jam non sibi, sed soli illi qui pro se in Cruce devixerat, viveret, & cum castissima illa Agnete, in

Ven. Catharina de S. Trinitate.

De Voluntas gratia edocetur.

Vit Monialis Calvarienensis.

Rigo y vita ejusdem.

terris etiamnum agens, in eadem lata erumperet: Ecce, quod concupivi jam video; quod speravi jam teneo: dum in terris posita, Sponso suo etiam corporaliter, ex singulari Superiorum licentia fruere, sacra quotidie Synaxi refecta, & inexplicabili abblandi-entis Sponsi solatio mirificè recreata. *Inde, inquit vitæ scriptor, raris in Virtutum Lyco incrementis ac cumulis in dies augebatur, & spiritualibus decem dierum (ex more Congregationis) Exercitijs, intentissima, vix è cella nisi ad Calam egrediebatur, ut unius finis solitudinis, alterius initium esset: Obedientia nihilominus, ita addicta, ut nihil inconsulta Superiore, imo minutissima quoque eâ imperante faceret, quasi absque omni merito factum esset, quidquid obedientia non dictasset, & imperasset. Nec frustra à Sanctissima Trinitate cognomen habuit, cujus consideratione & veneratione ut Cherubim & Seraphim exarsit. Jesu autem suo, altera sanè & Rediviva Catharina Alexandrina fuit, cui nec Martyrium in tanto tamque ultroneo vitæ rigore defuit, etsi amor Numinis acerba omnia quàm dulcissima redderet, & nihil gratius Sponsæ, quàm Sponsi amore omnia dura perpeti, esset. Ita denique post multa & admiranda Virtutum exempla corpore mortua fuit, animo priusquam etiam corporis solueretur ergastulo, pridem inter Superos comorante. Ex Vita, & R. P. Amando Tribout, &c.*

Obedientia
Virtus.

Alteri Ca-
tharina
Alexan-
drina
Martyr.

Moritur
Philippus
Caverellus
abb. S. Ve-
dasti.

Extinguitur hoc anno magnum sanè Ordinis & Inferioris Germaniæ sy-
dus Reverendissimus & Illustrissimus
Dominus Philippus Caverellus, cele-
berrimi & potentissimi Belgij Archi-
sterij apud Atrebatas, dignissimus &
meritissimus Antistes. Præsul verè exi-
mius & æterna dignissimus memoria,
singularis eruditorum Mecænas, bonarum-
que litterarum & artium cultor
præcipuus. Hic insigne Collegium
Vedastinum. Duaci construxit, ubi A-
scetæ nostri Vedastini, ab ipse Uni-
versitatis Fundatione, ad hanc usque
horam, Philosophiam, Theologiam,
cæterasque Liberales Artes profitentur.
Sed & Monachis Anglis in eadem
Urbe, memorabili sanè exemplo &
merito insigne Monasterium condidit
& dotavit. Benedictinis similiter san-
ctimonialibus, novæ Reformationis

ibidem ædes & Ecclesiam exstruxit, ead-
demque summa cum gloria Ordinis,
& exempli utilitate, Gerardimontibus,
vel alibi etiam promovit ac fovit; sed
& alios Ordines similibus liberalitate
& beneficijs æternum demeruit; ut tan-
quam Pater & Fundator ab ipsidem re-
cognoscere. Fuit à Principibus Bel-
gij summo in honore habitus, & ad
summi momenti negotia electus & de-
stinatus, ad pacem etiam cum Hollan-
dis ineundam legatus, Bibliothecam
sui Canobij exquisitissimorum scrip-
torum & librorum copia splendidis-
simam reddidit; Templi ornatum pro
Numinis & loci dignitate insigniter
promovit, integerrimæ vir vitæ, om-
ni ornatu Virtutum cultissimus, & pro
eximia humanitate, omnibus amandus
& venerandus, ac proinde summo cum
omnium luctu & comploratione hoc
ipso anno extinctus; paulo ante mor-
tem periculi commendandi Commen-
datarijs Monasterij admonitus, & ip-
sum præcivisse & prædixisse, atque
multa alia toti Provinciæ impenden-
tia mala prænunciare auditus est. Suc-
cessit paulo post Cardinalis Aquensis,
& tota Artesiæ Provincia redacta est in
Gallorum potestatem. Ex Monument.
ejusdem Canobij.

Insignia
santi Pra-
sulis moni-
menta

Ipso anno moritur Rev. mo Placidus
de Arestj S. Juliani de Samos absolu-
tissimus Monachus, inde pro meritis
Episcopus de Paroquoj in Indijs, ubi
sancto sine in summa paupertate deceffit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LVII.

Iterum magnum cœlis sydus hoc
Anno infert florentissimum Sancto-
rum copiâ Galliarum Regnum, mag-
nam Regiæ familiæ Tutelarem, con-
sanguineam Regum maximorum.
Hæc fuit Maria de Estoueville Abba-
tissâ Hederensis celebris in agro Parisi-
ensi Monasterij, quæ alto procerum or-
ta stemmate, & Regiam stirpem san-
guine atinens, calcato sæculi à teneris
unguiculis fastu ac luxu, sese hostiam
incruentam Numini summa animi de-
votione consecravit. Adultior cum
floreret manifestis Gratiæ desuper da-
tæ donis, ad regimen illius Canobij
magno suo dolore evecta, nihil prius
habuit, quàm solida Reformationis ja-
cere fundamenta, & disciplinæ rigi-
dioris

Ven. Ma-
ria de
Estouevil-
le.

Reforma-
trix meri-
tissima.